Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 23
Quelle:
Copyright:

laodicenſes, Praefatio in Apocalypſin, quae eſt *Gilberti*, demum Pſalmus ille CLI. *Puſillus eram* &c. cui bene praemiſit Miniator: *Hic pſalmus in hebraicis codicibus non habetur, ſed nec a ſeptuaginta interpretibus eſt et ideo repudiandus.*

XIV.

R. 1114 Codex membraneus lat Sec. XIV. Folior. 590. 4. maj. per duas columnas anguſtas, ita ut ampliſſimi ſint margines, nitidiſſime exaratus, illibatus, frontibus Librorum, et initiorum literis deauratis, picturatisque et olim Collegii S. J. *Vindobon.* ſacra vulgatae Verſionis exhibet *Biblia Prologis Hieronymianis* pro more munita. Literam primam *Geneſeos* ſeptem primos Univerſi dies ſerie perpendiculari geſtantem Senecio humeris ſuſtentat, tantoque oneri vix par exclamat: *O quam graue fero pondus! Succurrite queſo.* Ad *Librum II. Esdrae* in ora ſupera *Esdras* et *Neemias* praefertur, et *Libro III. Esdrae* a prima manu rite datus erat numerus III. ſed inepte ſedulus quispiam extremam unitatem ubique eradere conatus II. fecit. *Pſalterii* ſingularis eſt ratio; non enim tantum Pſalmi, ſed Verſus omnes a litera majuſcula picta incipiunt. Verum ſolae primae Verſuum voces integre ſcriptae ſunt, ſequentes aut prima ſolum ſyllaba, aut etiam litera indicantur, v. g. *Confitebor t. d. i. to. c. m.* id eſt: *tibi domine in toto corde meo.* Lectoribus itaque, qui Pſalmos memoria tenerent, Librarius noſter ſcripſit. *Salomonis Libellis* ſubjunxit *Orationem* illam e L. III. *Reg.* c. 8. et *Paralip.* II. c. 6. quam non jam ſemel in aliis Exemplis notavi. Prima cujusvis Evangeliſtae Litera ipſum ſtantem, ſed *Marcum* leonino, *Lucam* vitulino, *Johannem* aquilino capite repraeſentat. I. *Job.* c. 5. ad teſtimonium terreſtre deeſt: *Et hi tres unum ſunt.* Ad calcem *Apocalypſeos* haec:

O tu lector quotiens ieſum reuoluis ore Te deprecor totiens exora pro ſcriptore.

O flos ſcriptorum ſalue benenate magiſter.
Nunquam tetrorum te terreat ordo ſiniſter.

Quis hic *Magiſter?* Accedit nota Interpretatio Vocabulorum hebr. et graec. ab alia, συγχρονῳ tamen et aeque munda manu.

XV.

U. 58 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 411. 4. per duas columnas eleganter exaratus, et coloribus diſtinctus, olim *Job. Gremperii* amanuenſis *Cuſpiniani* noſtri, literati hominis, ut e Schemate a me in *Memorab. Bibl. Garell.* P. I. p. 196. deſcripto et hic Thecae anteriori adglutinato liquet,